



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus Decimus Sextus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

MODUS DECIMUS
SEXTUS.

Tota oratio, in Sectiones aliquot, seu paragraphos dividitur.

Qui quamvis in assumpta sententia immediate non includantur, occasione tamen sententiarum ad illos fit progressus; & quamvis iterum ipsi se non inferant; habent tamen aliquam, ex vi Materię connexionem, ut aptè ex uno ad alios descendatur. Hoc modo tractat, P. Engelgrauē suos sermones, & est unus modus, ex facillimis: E. g. Dominica tertia post Epiphaniā ad illa verba Salvatoris Matth. 8. *Volo, mundare*, posses primò tractare de efficacia voluntatis divinæ: tum, de inefficacia voluntatis humanæ; ac postremò, quomodo voluntas humana in omnibus à Deo dependeat; voluntas autem divina in nulla re ad nostram voluntatem respiciat; solis actibus liberis, meritoriis præsertim, ac peccaminosis, exceptis.

PRAXIS.

Dominica 3. Adventus, *Tu qui es.*
Joan. 1.

Accessus & Propositio. Interrogationem hanc qua Joannem Hierosolymæ interternunci convenerunt: ad nos deinceps, potissimum convertendam, monet D. Bernar. libr. de Confid. ad Eugenium, inquit. *Ate incipiat consideratio tua*

in te finiatur. Tu primus tibi, & ultimus. Justum est ut sequamur tanti viri consilium, quod ipsum, alacrius ut præstemus, expendemus primò utilitatem reflectendi se, supra se; ut hac ratione, à nobis sæpius requiramus. Tu quis es? Secundò Incommoda, quæ sequuntur, curiosam status alieni indagacionem. Tertiò. Quem admodum reflexio supra se maximè sit necessaria, dum occasio virtutum aut vitiorum urget.

Confirmatio, ex probatis singulis
paragraphis.

I.

Utilitas reflectendi se, supra se.

Inter gravissima hominis negotia, numerari merito potest illud, quod D. Ambr. ad Ecclesiam Vercellensem scribens, nonnulli commendat. *Asuesce unus esse; ut vita tua, quandam picturam exprimat: eandem semper servans imaginem, quam acceperat.* Innumera sunt quæ turbant hominem, & suo statu dimovent. Rectè quidem Seneca Epist. 59. *Talis est sapientis animus, qualis mundi status, supra lunam: semper, illi serenum est.* At quam benè ille loquitur, tam rarò ab aliis præstantur; nec præstari ab ullo facilius potest, quàm ab eo, qui à se sæpius requirit: *Tu quis es?* id est, qui sæpius reflectit se, supra se ad Galat. 1. Miratur D. Paulus eorum mutationem. *Miror quod tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam CHRISTI: in aliud Evangelium: sed & mox causam subdit, dum exclamat. O insensati Galatae, quis vos fascinavit, non obe-*

dire veritati, ante quorum oculos, Christus proscriptus est. Hæc ergo causa mutationis Galatarum, Christus ante oculos proscriptus, seu ab oculis relegatus, repulsus. Similem causam in quolibet cogitare licet, quem videas mutari; inchoare spiritu, consummare carne: quod scilicet, se proscriperit, ab oculis suis, à sui reflexione abiverit, desciverit, non se nosse voluerit: ideoque de statu occupato, deturbatus, jam unus esse desierit, & alius à se sit, Glorietur in Domino Psaltes Regius Psalm. 118. v. 120. *De mandatis tuis non erravi, id est, unus idemque semper, & in eodem statu duravi.* De quo tempore id credimus dixisse Davidem: An de omni intelligere, ex eodem sic loquente licet. *Animam meam in manibus meis semper & legem tuam non sum oblitus.* Cum in manibus animam David versaret, cum se continuò consideraret, de mandatis non erravit: & legem non est oblitus, posteaquam alio oculos divertit 2. Reg. 11. *vidit mulierem se lavantem ex adverso super solarium suum:* atque mox Davidem perdidit, peccatorem invenit, unde scriptura 3. Reg. 15. *fecit David rectum in oculis Domini excepto sermone Uria.* Pericles Atheniensium Dux apud Plutarch. quoties vestem indueret, his se alloquebatur. Vide quid agas, Græci sunt, liberi sunt, quos regis: imò, Athenienses sunt. Quam meritò similibus vocibus se Christianus sæpius alloquatur. Vide quid agas, quid sis? Christianus es, à Christo nomen ducis, an & mores? Reflexio talis, sine magno commodo præterire non possit. Sed ô infidelitas! inquit Ber. ubi supra: *Novi hoc*

genti

genus monstri, cui libet, quomq̄, velle consulere: non tamen sibi: cum inter æa.

II.

Gravia incommoda curiosam alienorum morum inspectionem sequuntur. Inde scilicet suspensiones, inde iudicia temeraria, inde detractiones, sæcundissimè pronascuntur. Lex Locrensiū fuit, quod si quis peregrè reversus, interrogaret: Num aliquid novi? pœna grandi multaretur. Nobis, si DEO placet, semper nova indagantibus, nulla ab humanis legibus, pœna intentatur: at ubi culpa non deest, pœna quoque deesse non potest. Quis ruinam Petri in Domo Caiphæ non doleat? Verum quis etiā, ruisse eum propter curiosam rerum indagacionem non dicat? nimirum quia atrium principis erat ingressus, non tam ut Magistro suo patienti condoleret, quàm ut rei eventus notaret: Advertit id D. Justinus de triumphali Christi agone inquit. *Fortasse ideò corruit, quia non ut pugnaret, sed ut finem videret, accessit.* Etiam cum minimè speramus, curiosa aliorum inspectio præcipites nos agit. Servator noster cum à vitio curiositatis reprimeret Matth. 7. & Luc. 6. talem primùm de oculis nostris eijciendam, antequam festucam de alienis tolleremus, monuit, *festuca turbat*, inquit. Aug. hom. 16. de verbis Domini, *trabs extinguit sed nunquid unusquisque, qui festucam adimere cupit, trabem gerit?* utrumque Salvator conjunxit, quia ut plurimum, dum aliis festucam adimus, trabem attrahimus: Levia pro gravibus con-

demnando: & alieno peccato, in nos damnationem provocando. Eubatici pisces, igne adlitus posito in arenam evocantur & capiuntur. Ita curiosi, cum ad ignem alienos mores prodentem, evocantur: peccato in prædam cedunt. B. Ephrem. dicebat. *Ego duos oculos habeo. Vnum quo DEVM, alterum quo me specto: tertium: quo aliorum errores videam, non habeo.* O verba, Altissimo pectore inferenda! sed minimum illa valent, apud illos centoculos, imò mille oculorum, homines, de quibus Proverb. 17. *Stultorum oculi, in finibus terra.* Verè stultorum, quia cum fines orbis peragrant, damna sua non notant, quæ religiosè sugillans, Petrus, Abbas Clarevallensis, cum oculum unum perdidisset, interrogatus, qui valeret? respondit. *Vnum de Inimicis evasi, & à residuo, magis quàm à perdito formido.* Oculis id curiosis meritò attribueris, hostibus animæ, & prædatoribus crudelibus dominorum suorum. Curiosus nemo, nisi malevolus dixit Plautin. & Cyril. *Diaboli Evangelistas, curiosos nominavit.* Dixeris & asseclas, ejusdem, sic de se Job. Cap. 2. loquentis. *Circuivi terram. Et perambulavi eam.* Explicat Origenes. *Circuivi terram, in circuitibus iniquitatis, & speculans transitu subito, quid agatur in animis.* En circuitiones curiosorum! ex subito transitu, & inspectione operù levi, judicia de constitutione animi formantium. Eximie D. Chryso. Ser. 139. de oculo corporali loquens. *Oculus, visum videat, non invideat, prospiciat non despiciat. Oculus sit animæ fenestra, speculum sit mentis, membrorum sit dux; non introitus vitiorum,*

riorum,

tiorem. Tales & animorum oculos, necesse procu-
remus: quales debent esse corporum, nisi nostri im-
memores, dum aliena sectamur illud Cant. 4. audi-
re velimus. *Si ignoraste ô pulcherrima mulierum, abi
post vestigia gregum.* Origen. & Ruper. Legunt: *Si
stulta es, fias capra in capris*, id est, stultior fias, & ali-
enis moribus pereas.

III.

In occasione vitii fugiendi, aut exercendæ
virtutis, maxime necessariam supra se
reflexionem.

Vide quid sis, & scies, quod agere debeas: vilita-
tem tuam considera si superbia extolleris: dignita-
tem, si infimis deprimeris. Clemens Alexan. lib. 1.
Pædagog. Cognitionem sui, *omnium scientiarum
Magistram appellavit.* Rectè illa enim docet Phi-
losophiam quid agere deceat, illa Theologiam,
quod tam sublimi scientiæ competat: illa denique
omnes scientias, conventionibus instruit præce-
ptis & moribus. Philippus Macedo quotidie ad
virtutis vigorem conservandum, ab Ephēbis audi-
re voluit: *Hominem te memineris.* Aliquando et-
iam, cum victoriis elatus, à virtute ad arrogantiam
desciret: à Legato Persarum monitus. *Metire um-
bram tuam, & ne digito majorem, quam antea in-
venies: sibi, & virtuti restitutus est.* Ejus etiam fi-
lius Alexand. cum ad cursum à coætaneis invitare-
tur: Regiæ conditionis memoria, juveniles impe-
tus repressit: atque non nisi æmulis Regibus, id cer-
taminis se initurum respondit. Generosissimè ado-

lescens Spartanus captivus apud Plutar. ad libertatis tutelam sui nominis & generis dignitate exurrexit: atque exclamans identidem, *Spartanus sum, liber sum, non serviam*: capite eliso, servitutis dedecus vitavit. Basilisco simile est vitium. Huic si speculum opponas, à sui conspectu rumpitur. Speculum mentis, cognitio sui est. Si vitio opponatur, rumpatur necesse est scelus. Mirabili ordinatione, constitutum, ut monstra in tenebris terreant, interdium, vix aut nunquam appareant. Monstrum Stygium, Vitium est. Odit lucem, & fugit. At lux, intellectus & cognitio sui est. Unde ubi Psalm. 18. dicitur. Intellectum tibi dabo; S. Ephrem. & D. Ambr. legunt. *Lucem tibi dabo*. Ad hanc respexit Joseph Patriarcha. Gen. 39. cum impiæ Dominæ vesaniam status sui memoriâ reprimeret, *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in doma sua. Quomodo ergo possum facere hoc malum, & peccare in Dominum meum.* Ad hanc respexit Eleazarus, recusaturus esum carniū, idolis immolatarum, de quo 2. Machab. 6. *At ille cogitare cepit, etatis ac senectutis suæ, eminentium dignam, & ingenita nobilitatis canitiem, & mox, verba ejus sequuntur: Non enim etati nostræ convenit fingere.* Ad hanc respexit præter innumeros D. Basilius 1. Januar. in ejus vita, qui cum à Præsidente Modesto, nimium immodestè de Zelo ziffimis responsis argueretur: dicente Præsidente: *Nemo mecum tanta audacia egit*, respondit: *Quia in Episcopum non incidisti*, eoque responso, & judicis audaciam repressit, & virtutem constantiæ defendit.

Anigma

Ænigma, Græcis à Theodeco, propositum fuit, quo referebat, habere se domi filiam, quæ in infan-
tia magna esset: ætate adulta minima, ætate extre-
ma maxima: Umbram ille intellexit, quæ mane latè
sternitur, meridie fere nulla est, vespere maxima.
Nos Christianè interpretemur: In luce cognitionis
sui nulla vitiorū umbra subsistit, Mane in ætate igno-
rante, dum minimè nos respicimus, late spargitur:
at latissimè vesperi, quando per neglectum sui, ob-
livio sui comparatur. Vitanda talis maxime umbra,
ut vitetur vitiorum *negotium*, *perambulans in tene-*
bris Psalm 90. & amanda lux, ut sicut filii lucis in
virtute ambulemus: omninoque danda fides D.
Bernardo monenti, quod *Præstat scire te ipsum;*
quam si te neglecto, siderum cursus, vim herbarum, &
omnium caelestium & terrestrium naturas tenueris.



MODVS DECIMVS
SEPTIMVS.

Dicere hunc meritò possim commentatorium:
Talem etiam censere videtur A. R. P. Clau-
dius Aquaviva, in sua de Concionatoribus episto-
la. Est autem quando propositio præfixa, conti-
nua serie testimoniorum ex S. Scriptura aut Patri-
bus desumptorum firmatur: nec plus ferre ingenio
aut arti conceditur, quam recitatio locorum. Duo
in hoc genere tractandi vitanda. Alterum ne quæ-
stionibus multum subtilibus, & apicibus verbo-